



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Francisci Montmorencii E Societate Iesv Cantica Et Idyllia  
Sacra**

**Montmorency, François de**

**Antverpiae, 1638**

Dauid Giganticida. ex lib. 1. Regum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69423)

DAVID GIGANTICIDA  
IDYLLION.

ARGUMENTVM.

*Flavius Iosephus hoc Epinicium alternis cantatum fuisse tradit; ut nupta mulieres praeferrent, succinerent virgines.*

Cæso GOLIATH, obuiam prodeuntes SAULI, & DAVIDI victori hinc nuptæ mulieres, inde virgines Hebrææ, canunt Epinicium.

VIRGINES.

**P**ompa venit: pompa matrum chorus obuius exit.

*Tympana iam manibus, iam sistra loquacia sumunt;  
Iam canere incipiunt, & respondere iubemur.  
Alternis quoniam vult hæc Victoria dici.*

NVPTÆ.

*Hunc purum sine nube diem, Sol alme, reducis  
Isacidis, sudiq̄ue renident cærulea cali.  
Scilicet arridet nitor ætheris ille Saüli,  
Dum remeat patrias palmis insignis ad arces.  
Nos decet insignem palmis celebrare Saülem:  
Mille Saül, patriæ Servator, sustulit hostes.*

VIRGINES.

*Hoc melius viret herba die, pratumque puellis  
Sufficit*



*Sufficit vberius violas in ferta, crocumque,  
Parthenicemque: legi florum cupit obuia messis:  
Nempe suo properant Dauidi rura coronam;  
Huic quoque Victori nos carmina lata ca-  
namus.*

*Mille Saül, decies sed David mille peremit.*

## N V P T Æ.

*Testis Asecanâ terebinthus consita valle  
Quantus in arma Saül rueret, quo turbine tela  
Nuper in Allophylos curru torqueret ab alto;  
Puniceis galeam cristis indutus, & auro  
Loricam, auratis & fulgida cingula bullis.  
Mille Saül, patria Servator, sustulit hostes.*

## V I R G I N E S.

*Testis Asecanis Torrens qui vallibus errat,  
Flauus ut hinc David collectos quinque lapillos  
Miserit in peram. Moturus bella giganti,  
Esse satis fundam sibi duxit. Ab ethere tanta  
Nimirum puero fiducia venit inermi.  
Mille Saül, decies sed David mille peremit.*

## N V P T Æ.

*Quot peditum cuneos, equitum quot miserat  
alas  
Gaza potens? in nos Chananitis denique tota  
Contulerat iunctas iniusto fœdere vires.  
Has tamen, ut messor flauentes sternit aristas,  
Diruit*



*Diruit ense Saül; sparsitque volucris escam,  
Mille Saül, patriæ Servator, sustulit hostes.*

## V I R G I N E S.

*Quid, quòd ab Enachiâ Titanum stirpe pro-  
fectus*

*Par Libano Goliath monti, Dux agmen agebat,  
Ipse Palaëstinis vnus magni agminis instar?  
Hunc, velut aëriam resupinat turbo cupressum,  
Exanimem mediâ David porrexit arenâ.  
Mille Saül, decies sed David mille peremit.*

## N V P T Æ.

*Arboribus gestanda Saül suffixit opima  
Denictis spolia Allophylis. Sublimia ramos  
Æsculeos curuant ingenti mole trophæa:  
Tota Palaëstinis Ephronia silua superbit  
Exuuijs, Macedaëque nemus Victoria vestit.  
Mille Saül, patriæ Servator, sustulit hostes.*

## V I R G I N E S.

*Postibus arma sacris David suspendit, & ensens  
Votiuum Golia veteres Silonis ad Aras.  
Nos ibi grata Deo bisquinis carmina chordis,  
Voce vel argutâ, quouis cantabimus anno,  
Vsque tui memores, David formose, triumpho.  
Mille Saül, decies sed David mille peremit.*